



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 3. Etiam post Adami lapsum aliquid esse in homine, quod honorari
poßit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

perfectum produxit, ita & paruum mundum voluit esse vndiq; in origine sua ornatum. *Hoc inueni*, ait Ecclesiastes, *quod fecerit Deus hominem rectum: qui si ipse se infinitis miscuit questionibus, & perturbationibus, sibi culpam, non Deo ascribat. Deus qui virtutes dedit, id dedit, vnde gloria surgeret: homo, qui vitijs se mancipauit, caussa fuit earum rerum, vnde ignominia nasceretur. Neminem itaque potest de amisso honore, aut ignominia illata, nisi se ipsum accusare; malum quod patitur suo sibi iumento accersuit; dum voluit esse sicut dij, malè se in beatam, seu Macariam, vt dicitur abstulit.*

§. III.

Etiam post Adami lapsum aliquid esse in homine, quod honorari possit.

Quoniam autem, etiam post Adami peccatum, multæ adhuc res in homine excellentes permanserunt, neque omnes virtutes extinctæ sunt, debetur illis ex natura sua honos, tamquam testimonium excellentiæ. Et quidem illis operibus, quæ non solum cum diuina gratia, sed etiam ab eo fiunt, qui est ipse in gratia Dei; debetur honor æternus ab eo, qui diligentibus se *coronam insti-*

tit.

tie promisit, quiq; glorificantes se glorificat,
iuxta illud: Quicumq; glorificauerit me, glo- 1. Reg. 2.
rificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt 30.

ignobiles. Aliquando tamen etiam in hac vi-
ta amicos suos honorat; aliquando finit
etiam ab alijs honorari; aliquando hunc
fugitium honorem illis negat, subducit,
succidit, semper iustis de causis. Neque
enim Deus vlli mortalium, ob quamcumq;
virtutem, debet honorem temporalem. Et si
enim, vt D. Augustinus ait, *illos honorat &*
diligit, qui illicita fugiunt, sæpe tamen, sal-
tem ad tempus eosdem finit aliqua ignomi-
niæ nota infamari; vt innocentem Ioseph,
& castissimi nominis feminam Susannam,
qui etsi illicita fugerint, tamen eos Deus
passus est de adulterijs infamari, vt patien-
tiæ laus accederet ad castitatem. Quemad-
modum enim aromata vehementiùs fra-
grant, cùm mouentur, aut teruntur; sic
virtutis fama latiùs diffunditur, quando
rebus aduersis exercetur. Vnde quidam, per
ignominiam eunt ad famam bonam: neque
est parua gloria, infamem simul patienter
fuisse, & innocentem.

S. August.
serm. 64.
de tem-
pore.

§. IV.

Cur honoris appetitus homini insit?

Nasci-